



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de**

**Lugduni, 1664**

Qvæst. III. An ex creatis naturalibus intuituè visis possit euidenter Trinitas  
demonstrari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)



## QVÆSTIO III.

An ex creatis naturalibus intuitiue visis  
possit euidenter Trinitas demonstrari?



EGREGAMVS hic naturales creaturas à supernaturalibus; quia naturales solum habent respectum ad Deum suum auctorem; in supernaturalibus autem sæpè respectus alij, ex alijs capitibus, ad Deum inveniuntur postmodum examinandi.

## CERTAMEN I.

Opiniones, atque ad decisionem notatæ.

1 VAsquez noster 1.p.d.135. cap.2. & Nicolaus de Culla dialogo de Pace fidei cap.8. & lib.2. cribrationis Alcorami argumento postmodum à nobis adducendo, coacti, Trinitatis mysterium ex visione intuitiua creaturarum naturalium demonstrari posse dicebant. Contra verò veteres citati q.1. cert.1. Suar. d.26. & 27. sect.5. & 1. de Trinit. cap.11.n.17. Ruiz de Trinitate, Lugo de Incarnat. d.20. sect.4.n.44. ex visione creaturarum naturalium, etiam intuitiua, Trinitatem demonstrari posse dissentunt. Veteres enim omnes q.illa 1. & cert.1. memorati vniuersim docent naturali lumine intellectus creati, etiam Angelici Trinitatem demonstrari non posse: cum tamen Angelis plurimæ saltem creaturarum naturalium species propriæ debeantur: ac proinde, & intuitiua plurium cognitio.

2 Pro quæstionis decisione, aduerte; quod, vir apertè Theologus, Vasq. noster citata d.n.r. iam olim adnotabat. Nempè: terminum relationis, seu connexionis realis non statim, & necessariò intuitiue videri, si ipsa relatio, aut realis connexio cum ipso intuitiue videatur. Alioqui demones, vel nullius creatæ actionis species proprias habebunt, contra suæ naturæ iuram; vel Deum, qui singularum actionum principium est, contra deseruata pœnæ suæ leges clarè intuebuntur. Ad diderim: licet necessariò terminus entitatis respectiue clarè visè intuitiue videretur, id tamen non euenire ex visione entitatis respectiue, tanquam medijs, sed simultaneè solum, vt aiebat Aristot. cap. de relat. nimirum ex indigentia mentis, quæ sine termini specie relationum, sicuti est, videre non possit; non autem ex influenza sui obiecti relatiui in terminum, vt intellectum ad ipsum videndum deduceret. Quare termini cognitio in, vel ex cognitione relatiue abstractiua solum merito indicatur.

3 Hinc nota secundò: non statim ac respectus, seu connexio entitatis relatiue videtur, cognoscendas esse omnes formalitates rei, quæ terminus illius respectus, & connexionis est. Cum enim cognitio, quæ cognoscendus terminus est, ex abstractiuis sit, in quibus præcisioni, & abstractioni formalitatum obiecti locus datur (vt contra præcos & recentes Nominales pro communi sententia satis multis ostendebam in Logica controu. 1. d.2. q.2. cert.2.) ex solum formalitates ipsius ex visione entitatis relatiue cognoscuntur, quæ per se, & ratione prædicatorum relatiue entitatis attinguntur in re ipsa, quæ terminus relationis est; non autem aliæ formalitates, quæ sine terminante aliunde inveniuntur. Etenim formalitates reliquæ ad terminandam connexionem relatiui, perinde in re, quæ ipsam terminat, habent, ac si in ea non forent; quare, si per impossibile, non adessent termino per se, & formali, eodem modo hic eundem terminaret respectum: ac proindè ex con-

nexione, & relatione, quantumvis visa, non magis reliquæ formalitates discursu inferuntur, quam aliæ entitates disparatæ. Quæ duo præsentem, & sequentes disputationis huius quæstiones tractantibus memoria teneri opus est.

4 Tertio denique, aduerte (vt in argumentorum examine inanibus, prolixisque, & extraneis solutionibus locus non detur, ac mens à difficultatis scopo non diuertat) supponi à nobis hic ex nostra doctrina, an aliena; creata omnia respectum transcendentalem dicere ad Deum, tanquam ad necessarium, & essentialè suæ existentie principium: Cum enim ex eis aliqua (nempe actiones, quæ actualia virtutis diuinæ exercitia sunt) respectum realem ad Deum, connexionemque cum ipso intrinsecè inuoluunt, atque in his totum argumentorum pondus excipiendum sit, creata reliqua ab hoc ad Deum respectu, & relatione absoluerè labor, studiūque in præsentem inutile foret.

## CERTAMEN II.

Negatiue deciditur quæstio.

1 Dicendum est cum Suar. reliquisque secundæ sententiæ Doctoribus, nullum creatum intellectum ex omnibus adhuc creaturis naturalibus clarè visis inferre posse euidenter Trinitatem, etiam sub generaliore conceptu Trinitatis, seu quoad an est. Ad manum est ex dictis probatio. Quia ex visione creaturæ naturalis solum attingitur Deus, quæ terminus eius relationis formaliter est (si vera sunt, quæ diximus cert.1. num.3.) atqui Deus non est terminus relationis creaturæ naturalis, quæ trinus, sed, quæ potens est, quæ formalitas est communis, non autem personalis in Trinitate; ergo ex vi intuitiuis creaturæ, etiam respectiue Dei, non inferitur Deus quæ trinus est, sed Deus solum, quæ potens est, & vnus. Addiderim, neque probabiliter ex creaturis naturalibus clarè visis Trinitatem deduci posse: hoc enim probat ratio præcedens, vel nihil, vt cuius eam, vel leuiter meditantis, per picuum fiet.

2 Dices: respectus creaturæ ad Deum realis est: sed respectus realis est ad terminum, vt re ipsa est: ergo respectus creaturæ ad Deum est ad Deum, vt re ipsa est: atqui Deus, vt re ipsa est, trinus est, & vnus; ergo respectus creaturæ est ad Deum trinum, & vnum. Vergetur in actione: hæc numero actio respicit, hunc numero Deum, vt re est; ergo hunc numero Deum trinum: ergo est medium inferens Deum hunc trinum. Patet consequentia: est medium quatenus respicit Deum; sed respicit Deum hunc trinum; ergo est medium inferens hunc Deum trinum. Confirmatur: quia si per impossibile actio aliqua proueniret à Deo non trino, esset diuersa species, nec solum numero, ab hac, quæ prouenit à Deo trino: ergo quia terminus, etiam formalis huius actionis Deus trinus est; siquidem terminus formalis relationis is est, sine quo essentia, & species relationis metaphysica esse non potest. Tunc sic: ergo cognita hac actione, vt est in se, cognosci debet Deus trinus. Patet: quia per nos ex visione entitatis relatiue, & connexionis cum alio id totum abstractiue cognosci debet, quod terminus formalis eius connexionis est: sed, vt probatum manet, hic Deus trinus est formalis terminus huius actionis; ergo ex visione huius actionis hic Deus trinus cognosci abstractiue debet. Postquam sub vnum obturatum duriorum difficultatis frontem.

Respondetur tamen concessa prima argumenti maiori, distinguendo minorem, vt re ipsa est formaliter, nego minorem; materialiter concedo minorem, & nego consequentiam. Connexio enim realis respicit terminum realem, scilicet realis virtutis actiue, seu in casu præsentem omnipotentie, non autem formaliter eum identitate aliorum, quæ ipsi reali termino aliunde identicè

identitè adiunguntur, neque cum negatione identitatis: hæc enim non constituunt omnipotentiam realiter, quam ut terminum per se, & formalem respicit creatura, qua talis. Instabis: ergo hic respectus realis creaturæ præcisus est, quod intellectui vix conceditur. Probo consequentiam: siquidem secundum suam realitatem tangit vnum, scilicet omnipotentiam, non autem aliud ipsi identificatum, scilicet personalitates. Respondetur primò non nimis absurdum videri consequentiam. Ecce vniò hypostatica verbi facta est in persona, non autem in natura iuxta sententiam communem, licet hæc persona identificetur. Secundò: quia male infert, negatur consequentia. Nam ex eo, quod non respiciat omnipotentiam, ut identificatam personis tribus respectus creaturæ, neque, ut distinctam, non statim infertur attingere omnipotentiam seorsim, non attingit realitatem totam, sed solum non attingit per se, & formaliter, seu titulo sui reliquas formalitates, quæ in illa entitate realiter indiuisibilibus sunt: sed solum materialiter alia attingit, formaliter verò, & titulo sui omnipotentiam.

4. Virges: ergo re ipsa Trinitas est terminus huius respectus creaturæ ad Deum: ergo hic respectus inferendæ Trinitati medium aptum erit, si clarè videatur. Pater consequentia. Ad id totum medium est connexio realis clarè vna, quod realiter attingit: sed attingit per se connexio realis creaturæ Trinitatem: ergo erit medium ad Trinitatem cognoscendam. Maior videtur certa: est enim medium connexio creaturæ, quatenus connexio: ergo cum connexio sit cum tota Trinitate, erit medium ad totam Trinitatem. Respondetur distinguendo primum instantiæ antecedens: re ipsa est terminus formalis, & per se huius respectus Trinitas, nego antecedens: nam ratione identitatis cum termino formali, scilicet omnipotentia, quæ ratione, & titulo sui attingitur, terminatur: est terminus materialis, & per accidens, seu qui attingitur titulo, & ratione alterius, quod attingitur per se, concedo antecedens: & nego consequentiam. Ad eius probationem distinguo maiorem. Est medium ad totum, quod realiter attingit per se formaliter, & ratione sui factoris, quod attingit per accidens, materialiter, & ratione alterius differt. Est apertum: nam quod per se non respicitur à medio, per se non infertur ab illo, ablata enim per possibile, vel impossibile identitate omnipotentia cum personis terminus per se remaneret relationis, ac proinde relatio: tunc autem illas non inferret: & si eadem tunc prædicata in medio remaneret: ergo neque nunc ex eisdem prædicatis inferret. Distingue similiter minorem, & nega consequentiam, atque euanescit confirmatio, & instantia prima n. 2.

5. Ad secundam confirmationem eiusdem numeri prona ex dictis etiam erat solutio. Sed nosse Lugo supra respondet actionem à Deo non trino procedentem specie fore diuersam ab his, quæ à Deo trino sunt. Contra: quia in hac doctrina vrgentissimè præmit instantia. Si enim deficiente Trinitate actio speciem mutat, ac proinde ipsius relatio, & connexio: ergo Trinitas est terminus per se, formalis, & qui ratione, ac titulo sui attingitur ab actione hac, quæ à Deo trino progreditur: ergo erit medium ad inferendam Trinitatem, non minus quam ad inferendam omnipotentiam. Confirmatur: quia prædicatum illud specificum, quod desumitur à Deo, qua trino, deficitque in actione diuersæ per se speciei ortæ ex hypostasi à Deo non trino, nequit cognosci sine Trinitate, sicut neque prædicatum generale actionis sine omnipotentia: ergo sicut hoc viso cognoscitur, inferturque necessarîo omnipotentia, ita, & illo prædicato specifico viso, Trinitas necessarîo inferretur. Respondetur ergo vtramque actionem eiusdem speciei futuram: ex eo solum quod remaneret omnipotentia in Deo illo non trino: imo eandem numero actio maneret: tum quia ablata solum per impossibile Trinitate hæc numero omnipotentia maneret in Deo: tum quia formales indiuiduationes

R.P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

actionum relatiuas ad suas causas non esse verius existimo: cum ab eadem numero causa, atque ad eundem numero effectum plures actiones provenire queant.

6. Obiicies secundò. Natura humana est aliquid naturale: sed visa natura humana infertur necessarîo Trinitas personarum: ergo ex visione creaturæ naturalis potest Trinitas demonstrari. Minorem probò. Natura humana habet respectum, & connexionem realem cum Deo Trino formaliter, qua trino: ergo viso eo respectu euidenter necessarîo inferretur Trinitas personarum. Suadetur antecedens. Natura humana habet capacitatem, ut terminetur triplici subsistentia diuina, saltem successiue, omnium opinione: ergo habet respectum ad Trinitatem personarum. Probatur consequentia: quia natura humana habet respectum ad supposita naturalia, quibus terminari potest: ergo, & ad supposita diuina, quibus terminari potest respectum habebit. Vrgetur: quia terminabilitas hæc debet reduci ad actum terminandi per vniõnem hypostaticam in natura humana recipiendam: ergo natura humana respectu vniõnis hypostaticæ habet rationem subiecti, & causæ materialis: sed causa materialis, dicit respectum ad suum effectum, quemadmodum causæ creatæ efficientes, in suppositione, qua admittuntur creaturas omnes essentialiter ad Deum creatorem referri: ergo natura humana habebit respectum realem ad vniõnem, quam in genere causæ materialis causat. Respondetur negando minorem primam. Ad eius probationem negatur antecedens. Ad cuius confirmationem negari poterat, atque absolute debebat naturam humanam dicere respectum realem ad subsistentias sibi proprias (nam ad alienas creatas, cum eis terminari non possit, ut ostendimus d. proœmiali falsum est) constat enim ex eadem disputatione proœmiali subsistentiam in aliquo posteriori modo, quem natura patiatur minime consistere: quare respectu illius natura causa materialis non est. Sed licet foret: sicut natura humana causa materialis vniõnis hypostaticæ esse admittitur, non statim, atque admittitur respectus creaturæ ad creatorem, admitti respectus causæ materialis ad suum effectum debet: creatura quippe in prædicatis essentialibus entitatis finita, & limitata dicit esse ab alio: ac proinde imbibitam habet connexionem cum alio, à quo fit, & à quo entitativa limitata sua perfectio taxetur, quod in causis creatis præcipue materiali, non inuenitur.

7. Sed admissio respectu naturæ humane ad proprias subsistentias naturales, & connexionem essentiali causæ materialis cum naturalibus effectibus, negatur eundem respectum dicere ad subsistentias diuinas, & vniõnes hypostaticas supernaturales: siquidem ex proportionem, quam supponit connexio naturalis ad naturales effectus, perperam infertur connexio ad aliquid supernaturale, cum quo nequit habere proportionem. Idcirco vniuersim potentiam obedientialem, & speciatim passiuam seu materialem, cuiusmodi est, de qua hic loquimur, absolutam omnino esse à possibilitate donorum supernaturalium fatentur communiter Doctores. Suarez tom. 3. p. d. 31. sectione 6. § circa secundum argumentum, à med. folij 606. & circa finem fol. 610. editione tertia. Salamanca reliquis auctori Ioann. Mart. Rip. tom. 1. de ente super numero d. 4. sectione 5. numero 46. & d. 25. sectione 4. d. 32. sectione 6. d. 33. ferè per totam, alique plures. Qua de re me vtiqum videatis tract. 1. Physicor. contro. uersa 7. de causarum naturalium efficacia d. 4. ubi plura de hac re Deo dante in publicum dabimus. Itaque in qualis potentia obedientiali eodem modo philosophandum est, atque de omnipotentia Dei, licet ex diuerso principio. Nam sicut ob extimiam, & præcellentem Dei nobilitatem eius virtutem actiuam absolutam cogitamus, quoad respectum ad eius virtutis terminos, nempe creaturas, solumque conditionatam ex parte obiecti, nimirum

omnipotentia est virtus actiua creatorum si non implicent in se sic etiam ob creaturæ naturales abiectionem ipsius obedientialem potentiam absolutam cogitare debemus à respectu ad dona supernaturalia, quæ ipsam perfectione longè superant; conditionatam autem ex parte obiecti, si ipsa dona supernaturalia ipsi communicari queant, concedimus.



### QVÆSTIO IV.

*Quid intellectus creatus inferret ex visione triplicis vnionis hypostaticæ ad tres Personas?*



D effectum supernaturalium secundum peculiare rationes examen progredimur. Nam ex eorum visione Trinitas euidenter, aut probabiliter inferri possit? Atque ab vnione hypostatica inchoamus: quia huius discussio à præcedenti quæstionis examine parum me iudice distat.

### CERTAMEN I.

*Aliorum placita, atque pro nostro obseruationes?*

1 Cardinalis de Lugo d. 20. de Incarnat. sect. 4. num. 43. docet ex visione intuitiua vnionis hypostaticæ verbi, si perfectæ claritatis, & comprehensionis sit, euidenter Trinitatem demonstrari; secus, si minus clara, distinctaque ex specie sua sit vnionis visio. Displicet primò: quod ex maiori claritate vnionis ex specie sua plura obiecta, seu plures obiecti formalitates asserat cognosci. Claritas enim cognitionis maior circa obiectum idem, non plura in ipso, sed eadem omnino representabit: licet ex parte representationis clarius. Secundò displicet conclusio ipsa vt ex dicendis cert. 2. constabit. Huic proximè accessisse videtur Zumel. 1. p. quæst. 3. art. 1. quæst. 2. asserens ex visione trium vnionum ad tres personas diuinas inferri euidenter posse Trinitatem. Admittit libenter citatus Lugo: imò illam sumit, vt medium ad probandum præfatam suam conclusionem, non sine inconsequentiæ nota à Zumel. reiectam, à qua tamen ipsum liberare parui nobis negotij esset, nisi operæ esset longioris.

2 Vt appareat quousque doctrinæ nostræ probationes, improbationesque proueniant, nota primò: mysterium Trinitatis generatim loquendo quatuor, vt minimum, conceptus inuoluere, tres posituios, negatiuum alterum. Primus è posituios est trium subsistentiarum diuinarum, quæ naturam complent substantialiter: secundus conceptus est principij productiui in duobus, Patre scilicet, & Filio; & termini producti, in duobus etiam, nempe Filio, & Spiritu Sancto. Hæc formalitatum distinctio constabit ex disp. 4. vbi de principijs diuinarum processionum per otium agemus, & disp. 9. vbi de metaphysica diuinarum personarum constitutione strictè, rigidèque tractabimus. Ibi enim ex diuersitate respectuum ad naturam, quam subsistentiæ terminant, & complent, atque ad terminos, quos produciunt, & à quibus produciuntur Personæ, inluper ex ratione principij quo processionum, & terminorum eam formalem distinctionem per probationem metaphysicam, quam liberam nobis fides reliquit, deducemus: ne vitiosa religit, quod fides non posuit, mysterij odium, & hostilitatem cæco inducat mare

cum discursu politiori. Tertius conceptus est identitatis trium subsistentiarum cum eadem natura diuina. Quartus denique conceptus negatiuus est, scilicet negationis plurium personarum identificantium cum essentia eadem.

3 Præmittendum secundò est: ex formalitatibus identificantis, quæ alteri extremo beneficio vnionis necluntur, vt vnum per se constituant, vt contingit in vnionibus hypostaticis, aliàs formaliter, aliàs verò materialiter vniri possent est aliàs perse ratione, & titulo sui vniri aliàs vero ratione, & titulo alterius, siue per accidens: quatenus illi, quæ ratione sui vnitur, ipse identificatur. Vtra autem earum per se formaliter ratione, & titulo sui vnitur duplici ex capite pensandum est. Tum ex incomplectione formalissima entitatis, cui vtrique vnitur: tum ex comparatione vtriusque formalitatis, vel plurium (si plures sint) inter se se. Res est claratæ enim ex completæ entitate in aliquo ordine, & alia entitate quacumque vnum per se constitui non possit, necessariò in entitate, cui aliquid vnitur; vt vnum perse cum illa constituat, incomplectionem in suo ordine supponet. Rursum termini vniti formalitates examinandæ accuratè, cõparandæque inter se sunt, vt appareat quanam essentia, & conceptu suo illam compleat incomplectionem entitatis, cui vnitur, atque ipsius in illo ordine indigentiam expleat: ea enim formalitas termini vniti, quæ compleuerit entitatis incomplectionem, atque ipsius indigentiam in illo ordine formaliter expleuerit, per se formaliter, ratione, & titulo sui vnitur; reliquæ verò formalitates, quæ illam non complent, licet ratione identitatis cum formalitate illa vnionem materialiter terminent, non per se formaliter, ac ratione, & titulo sui ipsam terminabunt.

4 Tertio denique notandum est: naturam, vel naturas substantiales, quibus personæ diuinæ hypostaticè vniri, quasque suppositare possunt, solum esse per se incomplectas in linea suppositi, non autem in linea naturæ: ac proinde id solù vniri posse, titulo, & ratione sui, quod formaliter illas in linea suppositi compleat, ac terminet. Sicut enim forma substantialis compleat materiam ad esse naturæ, quia cum illa naturam substantialem constituat, ac proinde terminus formalis, & per se vnionis substantialis compositi est, & qui ratione, ac titulo sui vnitur materiæ: ita conceptus ille, qui naturæ incomplectionem in linea suppositi compleat, erit terminus formalis, & per se vnionis, qua ad naturam substantialem tota realitas vnitur termini. Itaque ex conceptibus formalibus identificantis in termino eodem, qui vnitur, videndus ille est, qui formaliter respondet incomplectioni naturæ substantialis, cui vnitur, & quo permanente vnio hypostatica cum suis essentialibus prædicatis permaneret, atque hic terminus formalis, & per se vnionis habendus est, qui quoque titulo, & ratione sui ab vnione hypostatica attingatur; alij verò conceptus, quibus sublati, per impossibile, adhuc vnio hypostatica, quæ talis, essentialiter maneret, quantumvis alteri identificentur, non tamen per se formaliter, titulo, & ratione sui ab vnione attinguntur: ac proinde, nec termini formales, sed materiales solum, & per accidens ipsius vnionis sunt. Duo hæc postrema notata à nobis sunt in aliorum doctrina, qui subsistentias modos super, additas naturæ, censent, vt eos in propriis sedibus adoriamur: in nostra enim doctrina satis erit adnotasse vnionem hypostaticam formaliter ad personalitates terminandam esse, vt vnio hypostatica sit, sicut de vnione hypostatica Christi Domini communior sententia fert; vt conclusionis secundæ probatio præcedat.